2

COMMENTATIO

IN

OPUS CAELATUM ANTIQUUM

MUSEI PIO-CLEMENTINI

AUCTORE

ARNOLDO HEEREN

BREMENSI

A. M. SOC. REG. SCIENT. GOETTING. ASS.

Sculptoribus atque poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas.

ROMAE MDCCLXXXVI.

APUD ANTONIUM FULGONIUM

PRAESIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO

IOSEPHO GARAMPI

S. R. E. CARDINALI,

EPISCOPO MONTISFALISCI, ET CORNETI

ARNOLDUS HEEREN

F.

Plures iam eoſque eruditiſſimos viros in eo verſatos fuiſſe noſti, Cardinalis Eminentissime, *ut ex accuratiori & poeſeos & artium naturae cognitione praecepta quae artifices in exprimendis & imitandis poe-*

tarum deſcriptionibus ſequi debent, eruerent, iiſque obſervanda praeſcriberent. Quae quamvis ex hoc maxime fonte haurienda eſſe dubium eſſe nequeat, haud parum tamen lucis ex ipſis artificum operibus, in quibus varia utique fortuna poetam ſibi imitandum ſumſerunt, iis afferri poſſe, adeoque haec ipſa tanto maioris aeſtimanda atque accuratiori explicatione digna eſſe, quiſque facile videt. Atqui ex omnibus antiquitatis monumentis, quae temporum iniuria nobis reliquit, ac operibus maxime caelatis, quae cum integras hiſtorias exhibent, maxime huc pertinent, perpauca tantum ſunt, in quibus artifex poetam ita ſecutus eſſet, ut eum verba illius ante oculos habuiſſe, & ſibi exprimenda ſumſiſſe, certo affirmari poſſit. Quamvis enim fundum hiſtoriae quam exprimebant ex poetarum maxime traditis petebant Graecorum artifices, tamen cum ſuo quoque iudicio uterentur, in operibus ſuis adornandis multa pro ipſo operis conſilio inflectere, alia addere alia omittere ſolebant. Quae cum ita ſint, & Tibi, Cardinalis Eminentissime, *& ceteris omnibus qui Tecum ſtudio antiquitatis delectantur, operis huius antiqui, quod illu-*

illuſtrandum mihi ſumſi, explicationem, cum non arte ſolum & eruditione illud ſeſe commendet, ſed inter pauca illa antiquitatis monumenta, quae ipſas poetarum deſcriptiones oculis ſubiiciunt, principem forſe locum obtineat, haud ingratam fore arbitror. Operis enim noſtri auctor, quod ipſa explicatio docebit, & in ſingulis figuris adornandis, & in conſilio totius operis concipiendo tam preſſo pede Aeſchylum, nobiliſſimum Graecorum tragicum ſecutus eſt, ut, an ex omnibus antiquis operibus quae hactenus innotuerunt, ullum ſit, in quo artifex poetam ita ſibi exprimendum ſumſiſſet, neſciam.

Quod autem Tibi, Cardinalis Eminentissime, *hanc meam opellulam conſacrem, illud velim habeas pro grati animi pignore, & doctrinae & humanitatis Tuae admiratione incenſi. Obtigit mihi, quod omnes in votis habent, pauci obtinent, ut eam urbem viſerem, quae tantum non ſola praeſtantiſſima quaeque antiquitatis monumenta moenibus ſuis complectitur; ac ſi ex omni mea vita albo mihi lapide notandus eſt dies, illum eſſe ſentio, quo Romam, caput mundi, adire mihi licuit: atqui ſecundiori quadam fortu-*

na

na mihi evenit, ut & Tu, CARDINALIS AMPLISSIME, *& alii quos verecundia nominare vetat, patriae ſuae aeque ac reipublicae litterariae decora, non me indignum haberent, in quem favorem ſuum conferrent. Serena itaque fronte accipias quaeſo hoc qualecunque ſtudiorum meorum ſpecimen, quod ſi quis alius timida ſane manu offerre Tibi audeo. Novi enim, ea aetate me eſſe, cui diſcere potius quam docere convenit; novi eo loco me ſcribere, quo, quot mihi obtingent lectores, tot mihi erunt iudices; novi denique ad Te me illud mittere, omnis antiquitatis accuratum arbitrum. Accedit, quod in ipſo limine diſputationis cum viro immortali, qui in explicando hoc monumento lapſus eſt, res mihi gerenda erit; viro, cui non patriae ſolum Muſae coronam nectere voluerunt* (a)*; ſed quem vos quoque, cum in vivis eſſet excepiſtis, foviſtis, egregiis denique praemiis ac honoribus affeciſtis; mox autem, cum iniquo fato eſſet abreptus, eo loco monumentum ipſi negare non voluiſtis, quo neſcio, an in omni orbe terrarum, & ve-*

(*a*) *Elogium Winkelmanni*, auctore V. I. *Ch. G. Heyne*, praeceptore & amico aeternum colendo.

& veſtra humanitate & ſua laude digniorem occupare potuiſſet (b) . *Quod cum prima vice , cum ipſa iam auguſta templi maieſtate animus ſacro quodam horrore eſſet percuſſus, inopinatus aſpicerem , & veſtrae humanitatis admiratio , & tanti viri memoria ita me commovit , ut a lacrimis mihi temperare non potuiſſem , niſi ſubito animum cogitatio ſubiiſſet , eo conſilio id a Vobis factum eſſe , ut & meos populares tantoſque alios ad urbem Veſtram tanquam ad commune Muſarum ſacrarium ex omni Europa confluentes , tantis virtuti praemiis propoſitis , ad bonarum artium ſtudium excitaretis . Neque , ſi quid video , a ſcopo aberraſtis ! Sunt enim atque erunt , qui & laudis ſtudio , quo optimus quiſque trahitur , & ipſo generoſi pectoris impetu incenſi , ad eas artes ſe accingent , quibus ille immortalem lauream conſecutus eſt ! Ad quam , quamvis nemo facile adſpirabit , ſtadium tamen ingreſſis , quouſque vires ferant, illud decurrere liceat . Tu vero ,* CARDINALIS EMINENTISSIME,*ut favorem Tuum,quo hacte-*

(*b*) Monumentum B. *Winkelmanno* cura V. I. *Reiffenſteinii* in Pantheo poſitum .

hactenus non me indignum habuiſti , in poſterum quoque in me conferre velis , ea quae decet obſervantia , quam obnixiſſime rogo.
Dab. Romae die XVIII. Auguſti An. S. MDCCLXXXVI.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

INter opera caelata antiqua, quae Romae exſtant, vix eſt aliud, ut Winkelmanni verbis utar (*a*), quod ingenia antiquariorum magis exercuerit, quam illud, quod ab eo inter monumenta inedita Num. 148. publicatum, & cum olim in aedibus Barberinis exſtaret, iam in Muſeum Pio-Clementinum tranſlatum eſt, in quo in eadem camera in qua Tiberis fluvii ſtatua repoſita eſt, intrantibus ad dextram manum ultimo loco collocatum ac praeſtantiſſimo ſarcophago marmoreo inſculptum cernitur. Neque enim, cum non ipſa ſolummodo arte, qua effictum eſt ſeſe commendet, ſed in duobus quoque aliis monumentis repetitum cernatur, cum inde, fabulam in eo exhibitam ſaepiſſime ab antiquis ſculptoribus repraeſentatam eſſe pateat, indignum erat, in quo interpretando doctorum virorum ſtudia verſarentur. Marmora autem idem opus exhibentia, quae modo commemoravi, exſtant alterum in aula aedium Iuſtiniani, alterum in villa Borgheſiana; quae tamen cum utraque & temporis iniuria peius ſint affecta, & artis praeſtantia noſtro ſint inferiora, neque, cum in alto collocata ſint, accuratae diſquiſitioni facile ſubiici poſſint, nos illud aeri incidendum curavimus, atque in eo expo-

A nen-

(a) *Winkelm. Mon. ined.* T. II. p. 193.

Digitized by Google

nendo verſabimur, quod in Muſeo Vaticano repoſitum eſt, ita tamen, ut ea, in quibus illa a noſtro differant, quae tamen pauca ſunt, ſuo quaevis loco adiiciamus. Hic tantum praemonere liceat, in noſtro opere nihil omnino recentiori manu eſſe reſtitutum, nec quidquam in eo praeter unum tripodis pedem, & gladii, quem homo ex ara deſcendens manu tenet, aciem, deſiderari; capulum enim, una cum manu, integrum adhuc ſupereſt. In marmore contra Iuſtiniano & ſuperior pars operis, & ara Apollinis, cui ſculptor, cum ramum ipſi impoſitum conſpiceret, male integram arborem addidit, peſſime reſtaurata eſt. Monumenti denique Borgheſiani dimidia tantum pars conſpicitur, altera ab artifice recentiore, nullo prorſus conſilio, addita eſt. Quamvis enim non deſint, qui alteram quoque monumenti partem integram adhuc ſupereſſe, atque olim muro adiunctam fuiſſe, contendant, eam tamen videre mihi non contigit.

§. II.

Quamvis iam ex eo, quod idem hoc opus toties repetitum cernitur, pateat, fabulam in eo oculis ſubiectam, non poſſe eſſe ita reconditam, ut in poetarum & mythographorum ſcriptis vel rara vel nulla eius mentio fiat, neſcio tamen quomodo factum ſit, ut ante Winkelmannum omnes de eo exponendo fere deſperaverint. Poſtquam enim alterum illud in aedibus Iuſtinianis, una cum caeteris quae ibi exſtant antiquitatis monumentis, nulla tamen interpretatione adiecta, eſſet aeri inciſum (*b*), idem hoc iterum publicatum eſt a Sante Bar-

(b) *Galler. Iuſtin.* Tom. II. No. 148.

Bartoli inter *admiranda Romae antiqua* (*c*); quae quamvis a *Bellorio* annotationibus ſint illuſtrata, noſtro tamen, cum pancis his verbis „ *ſaevum & „ atrox facinus ignotum facinus* „, omne miſſum faciat, nihil inde lucis affulſit. Bartoli opus repetiit *Montefalconius in ſupplementis ad antiquitatem explicatam* (*d*), qui illud quidem recte vidit, fabulam in eo exhibitam eſſe maxime inſignem omniumque ore celebratam, quae tamen ſit ignorare ſe fatetur.

Primus, & quod ſcio, ultimus, qui in eo exponendo verſatus eſt, fuit Winkelmannus, commune illud Germaniae inter Italos decus, qui inter

(c) *Sante Bartoli Adm.Rom.Ant.* T.52. „ *Saevum atque „ atrox facinus, ignotum facinus. Iacentes ſomno atque „ alta ſepultos nocte, accenſis facibus ſtrictiſque gladiis „ hoſtes repentino impetu invadunt.* T*ermini Dei ſolemnia „ peragunt, poſito eius ſimulacro & tripode cum aulaeis, „ Aram vero ſublatam ex hoſtibus unus in caput dormientis „ vibrat ac iacit. Alii enſes adverſus dormientes ad necem „ intendunt. Hinc ſacrificae duae iacentes ſopore grava- „ tae altera ſecuri nititur, altera demiſſam accenſamque „ retinet facem. Huius ignoti facinoris duplex exſtat „ exemplar, alterum in Barberinis, alterum in Iuſtinianis „ aedibus, ex quo ſimilitudinem duximus* „. Bartoli opus egregie quidem delineatum ac aeri inciſum eſt, omiſſa tamen ſunt nonnulla figurarum attributa, quae ad explicationem maxime faciunt.

(d) *Montf. Ant. expl. Suppl.* Tom. IV. p. 31. Tab. XV. „ *Irruption ſur des gens qui dorment. Voila une grande „ hiſtoire, un fait des plus ſignalés; mais je ne ſcais ce „ que ce peut être. Je n'oſerai même par conjecture donner „ quelque explication d'une choſe ſi ſinguliere* „.

monumenta inedita , & aeri illud incidendum denuo curavit , & interpretationem ampliſſimam adiecit (*e*) , quam nos paucis primo verbis repetere, tunc vero adcuratae diſquiſitioni ſubiicere conſtituimus ; & cum rationes , quare eam non admittendam eſſe putamus , expoſuerimus , noſtram lectorum iudicio ſubmittemus ,

§. III.

Putat autem Winkelmannus marmore noſtro repraeſentari Caſſandiae & Agamemnonis caedem, ab uxore Clytaemneſtra , & Aegiſtho peractam . Cum enim Agamemnon rex Argivorum Graecorum copiis , quae Troiam obſidebant , decem annis praeeſſet , uxor Clytaemneſtra , ſola domi relicta Aegiſthi , Thyeſtae filii , amore flagrare coepit, atque maritum,cum victor ex bello redux factus eſſet, dolo interfecit. Cum enim Aegiſthus eum epulis excepiſſet , mox cum convivio accumberet , inopinatus in eum irruit , eumque una cum Caſſandra , Priami filia , quam captivam ex Troia abduxerat , enſe percuſſit . Haec quidem antiquiſſima Homeri narratio (*f*) , a qua tamen recentiorum poetarum (*g*) , qui Clytaemneſtram cum Agamemnon in balneo corpus curaret , peplo ſuperiniecto caput mariti cepiſſe , & cum ſubito ſe expedire non poſſet , eum interfeciſſe tradunt , commenta diſcedunt .

Cer-

(e) *Winkelm. Mon.ined.* n. 148. Explicatio legitur P. II. cap.27. pag.193 - 197.

(f) *Hom. Odyſſ.* λ 405.

(g) *Aeſch. Agamem.* v. 1377. *Soph. Electr.* v. 484. ut alios taceam .

Cernimus in opere noſtro duas figuras, utraſque iugulatas, alteram viri, alteram feminae, hanc Winkelmannus credit eſſe Caſſandrae, illam Agamemnonis. Iuvenem ſtricto gladio Caſſandrae adſtantem eſſe Aegiſthum, tres caeteros, quorum primus peplum, quo obtectum fuerat Aegiſthi corpus, removet, alter genubus reſidens ſublato lapide in caput Caſſandrae ſaevire videtur, ultimus denique, in dextra parte lapidis ex ara deſcendens conſpicitur, ſocios eſſe Aegiſthi, & ſceleris ſocios. Feminam, quae accenſa face pone Aegiſthum conſpicitur, eſſe Clytaemneſtram, quae cum facinus perpetratum ſit noctu, face lucem ipſi afferat; alteram autem, quae peplo obtenſo tota fere tegitur, eſſe Electram filiam Clytaemneſtrae. Vetulam illam, quae in altera parte exterrita conſpicitur, eſſe nutricem Agamemnonis, tanti ſceleris aſpectu horrore percuſſam. Ex quatuor illis figuris dormientibus unam, quae in lapide reſidet, non eſſe feminam ſed virum, iuvenem nempe Oreſtem; tres reliquas, quarum una accenſa face ante aram in dextra parte operis humi proſtrata iacet, alterae duae in altera parte operis conſpiciuntur, eſſe ancillas Clytaemneſtrae, poſt epulas vino & ſomno obrutas. Ingens illud peplum, quod ex duobus terminis ſuſpenſum cernitur, obtenſum eſſe ex veteri more, quo mulieres a virorum coetu eo arcebantur. Serpentes, crinibus Clytaemneſtrae aliarumque figurarum innexas, eſſe ſymbola irae qua ad vindictam incendebantur, ſcenam autem rei geſtae eſſe in porticu aedium Agamemnonis, non diurno ſed nocturno tempore. Duobus terminis ante coenam ſacrificium eſſe factum, poſitos autem eos eſſe in porticu ad ornatum aedium. Aram cum ramo quae in extrema

 par-

parte operis ad dextram conſpicitur, eſſe aram Apollinis cum laurea, quam artifex, quoniam Caſſandra Apollinis ſacerdos fuerat, addiderat.

§. IV.

Propoſita iam ſummi viri interpretatione, nam quae ad confirmandam ſuam ſententiam paſſim diſputat, ſuo quaevis loco examinabo, iam mihi adcuratiori cenſurae eam ſubiicere liceat, in qua ita verſabor, ut primum de ſingulis figuris, tunc de conſilio totius operis ex Winkelmanni ſententia diſputationem inſtituam.

Quod ad duas primas figuras attinet, humi proſtratas & gladio peremptas, quas Agamemnonem eſſe vult & Caſſandram, negare quidem non auſim, eas per ſe conſideratas & unum & alteram repraeſentare poſſe; at vero dicendum eſſet, ſculptorem, ſi eos ita effinxiſſet, cum in opere ſuo caelando neque Homeri neque caeterorum poetarum auctoritatem ſecutus ſit, contra omnem hiſtoriae fidem peccaſſe. Nam ſi Homeri deſcriptionem ſibi exprimendam ſumſiſſet, Agamemnonem convivio accumbentem (*h*), ſi recentiorum poetarum (*i*) eum in balneo corpus curantem repraeſentare debuiſſet. Atqui in opere noſtro cernimus tantum hominem a ſede ſua in terram deiectum & gladio percuſſum, balnei aut convivii apparatus nullus conſpicitur. Quodſi tamen ſint, qui haec ab artificis arbitrio pendere, fabulamque pro conſilio operis ab eo inflecti potuiſſe credant, ii velim cogitent, poetarum de Agamemnonis caede tradita ita iam omnium mentibus inhaeſiſſe, ut parum ab iis diſcedere poſſet artifex

(h) *Odyſſ.* l. c.

(i) *Aeſch.* & *Soph.* ll. cc.

tiſex ſi conſilium operis a ſpectatoribus intelligi vellet.

Verum his inſiſtere nolo, leviora enim ſunt: pergo iam ad ceteras figuras, ex quibus primo loco iuvenis, qui ſtricto gladio Caſſandrae corpori adſtat, in ſcenam prodeat. Hunc volunt eſſe Aegiſthum. Atqui videmus eum averſo vultu ac horrore percuſſum feminae vulnus inferre, quod quomodo artifici in mentem venire potuiſſet ſi Aegiſthum, Caſſandram advenam eamque captivam iugulantem, repraeſentare voluiſſet, equidem non aſſequor.

Praeter Aegiſthum tres alii cernuntur viri, quorum primus ſtricto gladio Agamemnonis corpori adſtat; alter genubus reſidens Caſſandrae corpus lapide quodam petere videtur, tertius denique ex ara deſcendens conſpicitur; quos omnes comites eſſe vult Aegiſthi ac ſceleris ſocios, auxilium ipſi ferentes. Quod ſi foret, non hiſtoriae ſolum fidem iterum neglexiſſet caelator, omnes enim Agamemnonem improviſo ab Aegiſtho ſolo & Clytaemneſtra oppreſſum eſſe perhibent (*k*), ſed ſic quoque rem ſuam inſtituiſſet, ut ieiunius nihil eſſe poſſit. Quis enim feret, tres figuras neque nomine neque certo charactere diſtinctas ita ab artifice additas fuiſſe, ut primas quaſi fabulae partes ſuſtinere videantur? Altero vero illo, qui ſtricto gladio ex ara deſcendit, deſignari poſſe Aegiſthi comitem, auxilium ipſi ferentem, omnino nego. Ut enim taceam, vix fieri potuiſſe ut operis noſtri auctor eum ſine ulla ratione ex ara deſcendentem fecerit, ut taceam fi-

(k) *Od.* λ. v. 405. *Aeſch. Agam.* v. 1377. *Soph. Electr.* v. 525.

guram comitis, ad auxilium ferendum irruentis, cum, quod adſpectus ipſe docet, caedes iam ſit peracta, caeteris omnino non convenire; quis non videt, ingreſſum omnemque habitum corporis non eſſe hominis ad opem ferendam properantis, ſed ſubmiſſo gradu ex ara deſcendentis, feminamque, quae ante aram dormiens conſpicitur, ut experge faciat caventis? Quod quomodo conveniret comiti Aegiſthi? Quid? quod ramum, quem Winkelmannus, quod infra docebitur, male pro laurea habuit manu tenens conſpicitur, quod ſupplicis eſt, non hominis ad certamen irruentis.

Pergo ad feminam illam, quae anguibus capillo innexis & accenſa face armata Aegiſtho adſtat, quam Clytaemneſtram eſſe vult Winkelmannus. Face enim accenſa, cum res noctu geratur, eam lucem afferre Aegiſtho, anguibus autem quae & brachio & capillo implexae conſpiciuntur, iram horrendam atque vindictae cupiditatem deſignari. Quod tamen utrumque locum habere non poſſe, ipſa iam figura habituſque corporis docet. Videmus enim eam non ſublata face lucem afferentem, ſed face praetenſa in Aegiſthum irruentem, non immoto pede reſtantem, ſed minaci vultu horrendoque ingreſſu in Aegiſthum pergentem, ab artifice eſſe exſculptam.

Quod autem ad ſerpentes attinet, qui & Clytaemneſtrae & aliorum crinibus innexi cernuntur, iis in opere noſtro iram deſignari poſſe, omnino nego. Ut enim taceam peſſime hoc inſtitutum eſſe ab artifice, ut ea quae ipſo vultu corporiſque habitu & exprimenda eſſent & exprimi poſſent, ſymbolis exprimeret, praeter Clytaemneſtram cernimus duas alias figuras anguibus inſtructas, alteram illam

quae

quae cum duabus aliis ſaxo innixa & ſomno obruta cernitur, (ubi tamen anguis cum in medio earum delabitur, potius ad omnes tres pertinere videtur) alteram quae in dextra parte operis humi proſtrata dormit. Atqui iram dormientibus tribuere nonne ridiculum eſſet? Erat Aegiſthus, erant comites in caeſos ſaevientes, quibus melius haec conveniſſent, miſeris ancillis, iiſque dormientibus, non conveniunt.

Quod denique ad peplum illud attinet, de termino ſuſpenſum, quo ex Winkelmanni ſententia tempore antiquiſſimo mulieres a virorum coetu arcebantur, nullo ſane loco minus apto ſculptorem illud operi ſuo addere potuiſſe, cum mulierem impudicam in ipſum maritum ſaevientem effingeret, omnes facile vident.

§. V.

Iis qnae hactenus diſputavi patere arbitror, vix ullam eſſe figuram in toto opere, quae ex Winkelmanni ſententia commodam interpretationem admittat; iam de figurarum diſpoſitione conſilioque totius operis, quale illud ſecundum Winkelmannum ſculptor animo conceptum habebat, pauca ſubiungam, quo oſtenſurum me eſſe arbitror, operis noſtri auctorem, ſi viri ſummi explicatio admittenda eſſet, in figurarum diſpoſitione, omniſque operis idea concipienda ita peccaſſe, ut eum vix limites artis ſalutaſſe dicendum foret, quod tamen ipſa operis praeſtantia quod nobis reliquit abunde refutatur.

Quodſi Agamemnonis & Caſſandrae caedem ab uxore & Aegiſtho factam effingere voluiſſet artifex, princeps ſane figura fuiſſet Agamemnon, atque in eo interficiendo & Aegiſthum & Clytaemne-

ſtram

Digitized by Google

ſtram occupatos oculis ſubiicere debuiſſet. Quamvis enim Caſſandra una cum eo interfecta ſit, hanc tamen parum curabat Aegiſthus, neque niſi Clytaemneſtrae iuſſu, quae ipſi, quod ab Agamemnone pellicis loco adducta eſſet, iraſcebatur, occiſa eſſet. Atqui in noſtro opere Agamemnonem quaſi neglectum ac ſoli comiti cuidam relictum conſpicimus, Caſſandrae enim & Aegiſthum & Clytaemneſtram adſtantes cernimus, quod quomodo in mentem venire potuiſſet artifici, ſi Agamemnonis caedem repraeſentare voluiſſet?

Quodſi porro duo caeſorum corpora humi proſtrata aſpicimus, patet vulnera lethalia iis iam eſſe inflicta; nullum cernitur vitae ſignum, cum neque vi neque precibus vim illatam depellere ſtudeant. Dicendum itaque eſſet, ſculptorem non ipſam caedem repraeſentaſſe, ſed tempus caede peracta ſibi exprimendum ſumſiſſe, quo nihil poteſt eſſe ieiunius. Cernimus enim Aegiſthum fruſtra in corpora mortua ſaevientem, comitem re iam peracta ad opem ferendam fruſtra accurrentem; Clytaemneſtram denique fruſtra face accenſa lucem afferentem.

§. VI.

Quae cum ita ſint, virum immortalem in explicando egregio hoc antiquo opere in errorem incidiſſe, eiuſque interpretationem nullo modo admitti poſſe, omnes videre arbitror, cui num ea, quae iam a me exhibebitur, praeferenda ſit, a lectorum iudicio pendebit, quo ſi probabitur, ampliſſima me praemia tuliſſe arbitrabor. Credo autem hoc opere caelato repraeſentari *Oreſtem, matris Clytaemneſtrae & Aegiſthi caede modo peracta, ſubito furiis correptum*, cui artifex ex ſolemni

cae-

caelatorum more, cum in utraque parte marmoris locum ſibi adhuc vacuum relictum eſſe videret, alterum quaſi fabulae actum addidit, in nullo alio, quantum mihi innotuit, antiquitatis monumento expreſſum: *Oreſtem in ara Apollinis Delphici furiis obſeſſum, earumque cuſtodiam cum ab Apolline eſſent inſopitae, fallentem*. In exponenda autem & probanda mea ſententia ita verſabor, ut primum hanc Oreſtis hiſtoriam lectoribus paucis in memoriam revocem; tunc ad figurarum explicationem, additis ſemper poetarum locis quae ſculptor expreſſit, me accingam, denique de omnis operis conſilio, ac de idea, qualem eam auctor animo conceptam habebat, iudicium feram.

§. VII.

Vix erat in omni antiquitate fabula magis decantata, atque a pluribus poetis tractata, quam ea de fatis Oreſtis. Primo enim loco expoſitam eam invenimus ab Homero (*l*), quem exceperunt omnes ut vocantur, poetae cyclici, qui cum omnem Troiani belli principumque Graecorum uſque ad Ulyſſis reditum hiſtoriam enarrarent, familiae Agamemnonis fata copioſiſſime exponebant. Eorum porro carmina, ex quibus nullum nobis ſuperſtes eſſe voluit fortuna, fontes erant, ex quibus pleno ore hauriebant Graecorum tragici, qui quamquam omnes, tribus tantum exceptis, temporum iniuria perierunt, hi tamen ipſi qui nobis ſervati ſunt omnes, fabulam hanc tractandam ſibi ſumſerunt. Aeſchylus enim duabus tragoediis Oreſtis hiſtoriam expoſuit, Choephoris & Eumenidibus; Sophoclis exſtat Electra, Euripidis vero & Electra & Oreſtes legitur. Hos exce-

(l) *Od*. γ. v. 306.

ceperunt immenſus poetarum recentiorum , mythographorum ,quid ? quod & rhetorum numerus , qui in tractando hoc argumento ingenii vires exercebant .

Quae cum ita ſint,res ipſa docet,fabulam hanc, cum quiſque pro vario operis conſilio eam inflecteret,alia adderet,alia omitteret, atque id maxime curaret , ut eam nova quaſi veſte indutam lectorum oculis ſubiiceret,non ab omnibus eodem modo enarratam eſſe poſſe . Verum haec copioſe exponere , alienum foret a conſilio meo ; mihi , qui ea tantum quae ad rem ipſam pertinent , afferre conſtitui , ſufficiat , Oreſtis fabulam , prout ab *Aeſchylo* (*m*) tractata eſt , *quem in opere ſuo adornando fere totum ſecutus eſt artifex* , lectoribus in memoriam revocare; quodſi tamen ex aliorum poetarum auctorumque locis nova lux affulgeat operi noſtro, in decurſu diſputationis ea lectoribus non invidebo .

§. VIII.

Clytaemneſtra atque Aegiſthus,cum Agamemnonem ex bello Troiano reducem dolo interfeciſſent, Oreſtem quoque , unicum filium quem Clytaemneſtra ex Agamemnone conceperat , veriti ne, cum ad virilem aetatem perveniſſet , patris mortem ulciſceretur , occidere ſtatuerunt . Soror autem Electra clam eum matris inſidiis ſubreptum miſit ad Strophum , Orchomeni regem , Pyladis patrem; a quo non modo exceptus eſt & educatus; ſed cum Pylade quoque arctiſſimum illud amicitiae vinculum, no-

(m) Expoſuit *Aeſchylus* Oreſtis hiſtoriam in duabus tragoediis, *Choëphoris* & *Eumenidibus* . Prior continet reditum iuvenis in Argos ac matris ac Aegiſthi caedem ; altera Furiarum iras ac caedis expiationem Athenis factam .

noſtro adhuc tempore omnium ore celebratum, contraxit. Cum vero ad virilem aetatem perveniſſet, Apollo, ut patris mortem ulciſceretur, oraculis eum monuit, fore enim, ut patris vindicta neglecta, ipſe miſera morte periret. Oreſtes itaque & vindictae cupiditate incenſus, & patrium regnum recuperaturus, una cum Pylade Argos contendit, atque cum ſororem Electram in patris tumulo, inferias ipſi ferentem, deprehendiſſet, conſilia cum ea de interficiendo Aegiſtho & Clytaemneſtra communicat. Electrae itaque aedium cuſtodia demandata, hoſpites ſe eſſe fingunt, fictumque de Oreſtis morte nuntium afferunt. Qua re Aegiſthus inſperato gaudio affectus, accurrit, ab Oreſte autem & Pylade gladio exceptus, interficitur. Caede hac peracta Oreſtes matrem manu correptam in eundem locum, quo Aegiſthi corpus proſtratum iacebat, abduxit, eamque, fruſtra ſupplices manus pectoraque quibus eum enutriverat obtendentem, enſe peremit. At vero vix manus ſuas materno ſanguine maculaverat, cum iam irruunt in eum Furiae, eumque crudeliſſimis poenis exagitatum, patriam ſedem iterum relinquere cogunt. Cum itaque nullum ſibi aliud praeſidium relictum eſſe videret, Delphos confugit, atque in ara Apollinis Pythii, qui caedis ipſi auctor extiterat, ſupplex conſedit. Furiae autem ipſum perſecutae, cum arae ſanctitatem revererentur, eam obſidentes, perpetuam cuſtodiam egerunt. Qua re commotus Apollo ſomnum iis immiſit, atque Oreſtem ut Athenas ſe conferat, litemque ſuam a Minerva & populo Athenienſium diiudicare faciat, monet. Oreſtes itaque, clam ex ara deſcendens, ex cuſtodia elabitur; Furiae autem umbra Clytaemneſtrae ſubito expergefactae eum inſe-

inſequuntur, & cum Athenis ad aram Minervae, eum deprehendiſſent, Minervae arbitrium certaminis committunt. Minerva autem illud ad Athenienſium populum detulit, a quo Oreſtes culpa liberatur, furiiſque indignantibus ara dedicatur. Qua re placatae, Oreſte libero dimiſſo, ad inferos redeunt. Haec quidem Aeſchylus; nam quae alii poetae de ceteris Oreſtis fatis tradiderunt, utpote a conſilio meo aliena, omitto.

§. IX.

Ex omni hac Oreſtis hiſtoria operis noſtri auctor duas ſibi ſcenas repreſentandas ſumſit: primam, eamque principem, *Oreſtem poſt matris caedem furiis correptum*, alteram, ut locum in utraque lapidis parte ſibi relictum, expleret, *Oreſtem ex ara Apollinis, Furiis inſopitis deſcendentem*. Quod ut melius pateat, iam ad ipſam figurarum explicationem me accingo.

§. X.

Quod ad virum illum attinet qui ſupinus a ſede deiectus, humi proſtratus, vitaequae iam expers conſpicitur, facile vident omnes, eum debere eſſe *Aegiſthum*, quem ſecundum Aeſchylum primo loco interſecerat Oreſtes (*n*). Sedes autem, a qua deiectus cernitur, eſt *thronus Agamemnonis*, quem ille nefando ſcelere occupaverat. Rem enim ita conceperat animo artifex, Aegiſthum ab Oreſte in patris throno ſedentem eſſe deprehenſum, atque ab eo, cum vindictae cupiditate flagraret, eſſe correptum, gladio percuſſum atque in terram deiectum. In quo, quamvis egregium artificis iudicium omnes mecum laudabunt, inventionis tamen laudem non ipſi

(n) *Choëph.* v.888.

ipſi tribuendam eſſe exiſtimo. Expreſſit enim illum immortalis poetae locum, in quo Oreſtem cum ſorore de caede conſilia agitantem, ita loquentem inducit (*o*):

Κακεῖνον ἐν θρονοῖσιν εἰ εὑρήσω πατρὸς
Εὖ ἴσθι καὶ κατ᾽ ὀφθαλμοὺς βαλεῖ
Πρὶν αὐτὸν εἰπεῖν, ποδαπὸς ὁ ξένος, νεκρὸν
Θήσω, ποδώκει παραβαλὼν χαλκεύματι.

Si illum in patris throno ſedentem invenero, ſcias pro certo, priuſquam, quis ſit hoſpes ille interrogaverit, celeri enſe me eum interfecturum eſſe.

§. XI.

Feminam quae prope Aegiſthum ſeminuda in terram deiecta ac iam caeſa cernitur, eſſe puto *Clytaemneſtram*, quam Oreſtes poſt Aegiſthum eodem loco occiderat. Cum enim eam manu correptam ad eum locum raperet, quo mortuum iacebat Aegiſthi corpus, ſic eam apud Aeſchylum alloquitur (*p*),

Επεὶ πρὸς αὐτὸν τόνδε σε σφάξαι θέλω.
Καὶ ζῶντα γάρ νιν κρείσσον᾽ ἡγήσω πατρός.
Τούτῳ θανοῦσ᾽ συγκαθεῦδ᾽ ἐπεὶ φιλεῖς
Τὸν ἄνδρα τοῦτον, ὃν δ᾽ ἐχρῆν φιλεῖν στυγεῖς.

Iuxta hunc ipſum enim te immolabo, nam cum in vivis eſſet, maioris eum habuiſti quam patrem. Dormi cum eo in morte; flagras enim eius amore, & quem amare deberes in odio habes.

Quem ſane locum poetae ita expreſſit artifex, ut utri eorum maior laus tribuenda ſit neſciam.

No-

(o) *Choëph.* v. 570. In verſione latina quam ubivis adieci, non omnem verborum ornatum, ſed ſenſum tantum reddere volui, quod hic ſemel monuiſſe ſufficiat.

(p) *Choëph.* v. 904.

Noſter enim omnem Clytaemneſtrae figuram ex brevi illa ſed divina poetae deſcriptione τόυτῳ θανοῦσα συγκαθεύδε & animo concepiſſe & expreſſiſſe videtur. Ita enim eam effinxit, ut ſi ex vultu ſolo res diiudicanda eſſet, alto potius ſomno obruta, quam morte oppreſſa videretur. Nullum enim in eo terroris veſtigium conſpicitur: os vix apertum cernitur, omniſque vultus eſt compoſitus. Atqui ſi brachium a ſaxo cui incumbit caput, languide in terram demiſſum, ſi corpus vi ταναλέγεος θανατοῖο in terra extenſum conſpicimus, quis non videt, figuram hanc non eſſe dormientis ſed mortuae; quis vero non laudabit egregium artificis iudicium, qui commiſerationem potius movere, quam horrorem incutere voluit? Quod autem ſeminudam eam effinxit, cum non vi ſolum ad locum illum eſſet abducta, ſed ut filii animum ad miſericordiam flecteret, veſtibus direptis nuda ipſi pectora, quibus enutritus erat, obieciſſet (q), ſuo utique iure fecit.

§. XII.

Pergo ad iuvenem illum, qui ſtricto gladio ſed averſo capite territoque vultu Clytaemneſtrae corpori adſtat, eumque puto eſſe *Oreſtem*. Effinxit autem eum operis noſtri auctor, quod infra pluribus probabitur, eo momento, quo furiis modo conſpectis, circumſtantibus apud Aeſchylum haec verba acclamat (r),

Δμῶαι

(q) *Choëph.* v.891.

(r) *Choëph.*v.1043. Apud Aeſchylum loquitur ad chorum, qui ex ſervis conſtat, cui noſter, cum in marmore ipſi locus non eſſet, ſolam Geliſſam ſubſtituit.

Δμῶαι γυναῖκες, αἵδε Γοργόνων δίκην
Φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι
Πυκνοῖς δράκουσιν, - οὐκ ἔτ᾽ ἂν μείναιμ᾽ ἐγώ.

Servae! illae Gorgonum inſtar nigra ſunt veſte indutae, denſiſque anguibus armatae, non amplius manebo!

Ita autem eum repreſentavit, ut gladio ſublato, laevaque manu, qua vaginam tenet, praetenſa, impetum furiarum reprimere velle videatur; ſed cum horrendum earum aſpectum ferre non poſſet, caput avertat. Quo ſane ſimul & ipſum generoſum iuvenis animum, & horrorem quo, tanto aſpectu ſubito oculis obiecto, percuſſus erat; verbo, quo naturam ipſam ita expreſſit, ut melius eam exprimi poſſe negem.

§. XIII.

Duae porro feminae, quae a laeva parte Oreſtem aggrediuntur, *Furiae* ſunt, quarum altera irato vultu, horrendo ingreſſu, dextra manu facem ardentem, laeva anguem, qui infeſto ore iuvenem petere videtur, praetendens, & crinibus ſerpentes innexos gerens, in Oreſtem irruit; altera, in noſtro quidem opere nullo attributo eſt inſtructa; ſed in marmore Iuſtiniano haec quoque manu ſublata facem ardentem tenet; quid? quod, tertiae quoque Furiae caput ibi mihi cernere videor (obſcurum enim eſt, cum in alto collocatum ſit opus): quod ſi foret, commune recentiorum poetarum traditum, qui furiarum numerum ad tres reduxerunt, ſecutus eſſet artifex. Sed haec & incerta ſunt, & a ſolo ſculptoris arbitrio pendent. In adornandis autem earum figuris, haec verba Oreſtis apud Aeſchylum ante oculos habuiſſe videtur (*s*): B αἵδε

(*s*) *Choëph.* l. c.

αἵδε Γοργόνων δίκην
Φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι
Πυκνοῖς δράκουσιν,

Sunt enim, ſolito tamen more & longa veſte indutae, & anguibus armatae. In eo autem miremur auctoris & artem & iudicium, quod dirum hunc Furiarum aſpectum, ne horrorem ſpectatoribus incuteret, ita mitigaverit, ut ipſas Furias ſine voluptate aſpicere nequeamus. Vultu ſunt ſevero & minaci; ſed eodem iuvenili & pulchro. Qua tamen arte ſaepiſſime uſos eſſe artifices antiquos, obſervatum iam eſt Winkelmanno (t).

§. XIV.

Alterum iuvenem qui Oreſti a dextra, ſtricto & ipſe gladio, corpori Aegiſthi adſtat, credo eſſe *Pyladem*, Oreſtis amicum & comitem. Dextra tenet gladium, recens enim erat a caede, ſiniſtra veſtem, qua obtectum fuerat Aegiſthi corpus, ut nudum illud oſtendat ſpectatoribus, aufert.

Iuxta eum conſpicitur vetula, territo vultu ſublatiſque manibus. Eſt vero ea *Geliſſa* nutrix Oreſtis, quae cum non Aegiſthum ſolum, ſed ipſam matrem a filio occiſam conſpiceret, tanti facinoris horrore altum clamorem tollit. Erunt forſan qui eam non caeſorum ſed Furiarum aſpectu perterritam eſſe exiſtiment; ſed ſecundum Aeſchylum Furiae a ſolo Oreſte cernuntur; quod ſi negligere voluiſſet ſculptor, in Pyladis quoque vultu horrorem exprimere debuiſſet.

§. XV.

(t) *Winkelm: Storia delle arti del diſegno*, T. II. p. 323. in noviſſima praeclara operis immortalis editione & *Mon. ined.* pag. 200.

§. XV.

Ad Clytaemneſtrae caput iuvenis genubus reſidens conſpicitur, qui vel lapidem, vel quidquid ſit, utraque manu ſublatum tenet; quem eſſe puto aut *ſervum* aut *comitem Oreſtis*. Eum enim non ſolum cum Pylade, ſed ſervorum manu ſtipatum veniſſe, diſcimus ex *Aeſchylo*, qui Clytaemneſtram, ipſum, cum quis eſſet adhuc ignoraret, hoſpitio excipientem, ita ad ſervum loquentem inducit (*u*):

Ἄγ᾽ αὐτὸν εἰς ἀνδρῶνας εὐξένους δόμων
Ὀπισθόπους δὲ τούσδε καὶ ξυνεμπόρους.

Duc eum in conclavia virorum, cum ſervis hiſce atque itineris comitibus.

Ex quibus ſculptor, cum in reliquis Aeſchyli auctoritatem ſequeretur, hunc unum repraeſentare voluit.

Verum difficilior oritur quaeſtio, quid illud ſit, quod in manu habeat, & quo conſilio ſculptor eum ita effinxerit, ut illud ambabus manibus ſublatum teneat. Winkelmannus illud pro ſcabello habuit (*x*), quod tamen, cum & ſcabelli magnitudinem excedat, nec formam ſcabelli habeat, cum ne pedibus quidem ſit inſtructum, locum habere vix poteſt. Ego vero, marmore Iuſtiniano accuratius examinato, nullus dubito, eſſe illud aram (*y*), ex lapide illo, in quo recumbit Clytaemneſtrae caput, qui in marmore Iuſtiniano quadratus eſt, ab-

B 2 reptam.

(u) *Choëph.* v. 704. 705.

(x) *Mon. ined.* pag. 195.

(y) Eadem eſt *Bellorii* ſententia *in adnotationibus ad Admir. Rom. Ant.* N. 52, quas ſupra dedi cf. §. 2.

Digitized by Google

reptam. Primo enim eſt ſolita arae forma, oblonga nempe quadrata, parte & inferiore & ſuperiore paululum proſtante. In marmore vero Iuſtiniano, ſolito quoque arae ornatu, florum nempe corona, decoratum eſt. Porro, tanto eſſe illud pondere, ut hominis unius vires fere ſuperet, iuvenis qui illud ſublatum tenet, omnis habitus oſtendit. Denique res geritur vel in porticu vel in aedibus Agamemnonis, quos & aris & ſuperimpoſitis Deorum ſtatuis ornatos fuiſſe, & noſtrum marmor in quo Herma conſpicitur, & locus *Sophoclis* docet (z). Is enim Oreſtem ad matrem occidendam ex porticu ipſas aedes intrantem, ſic loquentem inducit.

πατρῷα προσκύσανθ᾽ ἕδη

Θεῶν, ὅσοιπερ πρόπυλα ναίουσιν τάδε.

adorantem patrias aras deorum, quotquot atrium hoc tenent.

Quodſi autem eſt ara, eam a ſervo eo conſilio ſubtractam eſſe puto, ne Clytaemneſtrae modo caeſae ſanguine pollueretur. Servum enim eo conſilio eam ſublatam tenere, ut eam in caput Clytaemneſtrae impingeret, adeoque in mortuam ſaeviret, neque arae ſanctitas, neque totius operis conſilium permittit.

Si autem ſint, qui eam non pro ara ſed pro ſede habeant, cum in re incerta nihil certi affirmare audeam, iis non adverſabor. Quod ſi foret, artificem rem ita animo concepiſſe dicendum eſſet, ut Oreſtes & Aegiſthum & matrem thronis ſedentes corripuerit; (quod quamvis adverſatur Aeſchylo, melius conveniret cum Euripide, apud quem θρό-
νοις

(z) *Soph. Electr.* v. 1375.

νοις ἥμενοι (*aa*) vocantur), ſervus autem ſedem eo conſilio ſubtraxerit ut honeſtius caderet, neque ut Aegiſthus ſupina a ſede deiiceretur.

Ego, cum prima vice marmor Iuſtinianum aſpicerem, poſt aram illam, ſeu lapidem, arcus, nervo remiſſo inſtructi, veſtigia mihi cernere videbar; adeoque in opinionem incidi, non eſſe aram ſed pharetram. (Eſt enim in marmore illo minoris molis quam in noſtro). Quod ſi eſſet, doctiſſime ſane inſtitutum fuiſſet ab artifice; novimus enim, non quidem ex Aeſchylo, ſed ex aliis poetis, Oreſti ad arcendum Furiarum impetum, arcum ab Apolline eſſe datum. Sic enim Oreſtes furibundus apud *Euripidem* (*bb*).

Δός τόξα μοι κεροῦλκα, δῶρα Λοξίου,
Οἷς μ' εἶπ' Ἀπόλλων ἐξαμύνεσθαι θεάς,
Εἴ μ' ἐμφοβοῖεν μανιάσιν συστήμασι.

Da mihi arcum donum Apollinis, quo ille Furiarum impetum arcendum eſſe dixit, ſi terrore iniecto, furorem mihi incuterent.

Euripides autem, teſte *Scholiaſta* (*cc*) expreſſerat *Steſichorum*: Στησίχορον δὲ ἑπόμενος τόξα φησιν αὐτὸν εἰληφέναι παρὰ Ἀπόλλωνος. „*Steſichori* „ *autem auctoritatem ſecutus, dicit, arcum eum* „ *ab Apolline accepiſſe* „. Dicendum itaque eſſet, Oreſtem & arcum & pharetram ſervo cuſtodiendam dediſſe. Verum re accuratius conſiderata, vidi ea quae a me pro arcus veſtigiis habita erant, eſſe tantum plicas pepli, quod ſuſpenſum conſpicitur;

B 3 adeo-

(aa) *Euripid. Electr.* v. 304.
(bb) *Euripid. Oreſt.* v. 268.
(cc) *Scholiaſt. Eurip.* ad l. c.

Digitized by Google

adeoque ea quae modo dixi, eo tantum conſilio hic poſita ſunto, ne alii poſt me in eundem errorem incidentes, male me ignorantiae arguant.

§. XVI.

In dextra parte lapidis ingens peplum extenſum cernitur, ab altera parte de Herma ſuſpenſum, ab altera deſuper nodo annexum. (Altera enim Herma quae in Winkelmanni opere aeri inciſa cernitur, in marmore non exſtat). Eſt autem *peplum illud idem, quo olim Clytaemneſtra marito cum in balneo eſſet, inſidias ſtruxerat*, quod quo conſilio additum ſit ab artifice, iterum diſcimus ex Aeſchylo, qui Oreſtem, caede matris peracta, expanſum illud ſpectatoribus oſtendiſſe, auctor eſt. Sic enim eum loquentem inducit (*dd*).

Ἴδεσθε δ᾽ αὖτε τῶνδε ἐπήκοοι κακῶν
Τὸ μηχάνημα δεσμὸν ἀθλίῳ πατρὶ
Πέδας τε χεροῖν καὶ ποδοῖν ξυνωρίδα.
Ἐκτείνατ᾽ αὐτὸν καὶ κυκλῷ παραςαδὸν
Στέγαςρον ἀνδρῶν δείξαθ᾽, ὡς ἴδοι πατὴρ,
Οὐχ οὑμὸς, ἀλλ᾽ ὁ πάντ᾽ ἐποπτεύων τάδε
Ἥλιος, ἄναγνα μητρὸς ἔργα τῆς ἐμῆς.

Conſpicite, quotquot adeſtis malorum meorum teſtes, inſidias miſero patri ſtructas, manuumque & pedum ligacula. Expandite ea, & ubique circumſtantes oſtendite virorum hoc vinculum, ut videat pater, non meum dico, ſed qui omnia luſtrat, Solem, nefanda matris meae opera.

Herma denique, & ad ornatum aedium, & ut peplum de ea ſuſpendi poſſet addita eſt.

§. XVII.

(dd) *Choëph.* v. 980.

§. XVII.

Ea quae haſtenus explicavi, pertinent ad primam eamque principem fabulae ſcenam. Pergo iam ad alteram, qua artifex *Oreſtem ab ara Apollinis Delphici deſcendentem*, *ac Furiarum ab Apolline inſopitarum cuſtodiam fallentem*, repraeſentavit; ita tamen, ut eam mediam divideret, ac tres figuras in dextra, duas alteras in laeva marmoris parte effingeret; quod quo iure ſibi ſumſerit, poſtea diſputabitur; iam in ſingulis figuris explicandis pergere liceat.

Primo autem omnium eum locum *Aeſchyli* afferendum puto, quem operis noſtri auctor fere totum expreſſit. Exſtat ille in *Eumenidibus*, ubi poeta vatem Pythiam (res enim geritur Delphis), ſic loquentem inducit (*ee*).

Ορῶ δ' ἐπ' ὀμφαλῷ μὲν ἄνδρα θεομυσῆ
Εδραν ἔχοντα προστρόπαιον, αἵματι
Στάζοντα χεῖρας, καὶ νεοσπαδὲς ξίφος
Εχοντ', ἐλαίας θ' ὑψιγέννητον κλάδον
Λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον
Αργῆτι μαλλῷ. τῇδε γὰρ τρανῶς ἐρῶ.
Πρόσθεν δὲ τἀνδρὸς τοῦδε θαυμαστὸς λόχος
Εὕδει γυναικῶν ἐν θρόνοισιν ἥμενος.
Ουτοι γυναῖκες, ἀλλὰ Γόργονας λέγω.
Ουδ' αὖτε Γοργείοισιν εἰκάσω τύποις.
(Εἶδόν ποτ' ἤδη Φίνεως γεγραμμένας
Δεῖπνον φερούσας) ἄπτεροί γε μὴν ἰδεῖν
Αὗται, μέλαιναι δ' ἐς τὸ πᾶν βδελυκτρόποι
Ρέγκουσι δ' οὐ πλαστοῖσι φυσιάμασι.
Εκ δ' ὀμμάτων λείβουσι δυσφιλῆ βίαν.
Καὶ κόσμος, οὔτε πρὸς θεῶν ἀγάλματα
Φέρειν δίκαιος, οὔτ' ἐς ἀνθρώπων στέγας.

(ee) *Aeſch. Eumenid.* v. 40-56.

Video in umbilico, (terrae ſcilicet, i. e. in ara Apollinis Delphici, quam in medio terrae collocatam eſſe putabant), *virum diis invisum, ſupplicem, manus ſtillantem ſanguine, & recens ſtrictum enſem, & altum oleae ramum lana candida ornatum tenentem, ſedem habentem. Ante eum autem agmen mirabile mulierum, in thronis ſedentium, dormit: Gorgonas potius quam mulieres eas dicerem. Neque tamen Gorgonibus eas ſimiles eſſe dico, (vidi enim eas quondam depictas Phinei prandium auferentes). Hae enim ſunt ſine alis, nigrae, triſtes viſu, ſtertunt vero non ficto ſomno, atque ex oculis ſtillant terrorem. Gerunt autem ornatum, quem neque ad Deorum aras neque in hominum aedes portare fas eſt.*

Cernimus primo in opere noſtro ſolitam *tripodis Delphici* figuram, quem ſculptor hiſtoriae fidem ſervaturus ſuper rupem collocavit. Novimus enim hanc vatis Pythiae ſedem poſitam fuiſſe ſuper ſpeluncam, ex cuius ore vapores, furorem excitantes, proveniebant. Teſtes eſt ut alios taceam *Diodorus Siculus*, qui in opere ſuo & oraculi Delphici inventionis hiſtoriam, & tripodis ex quo vates vaticinia reddere ſolebat, deſcriptionem nobis reliquit (*ff*).

§. XVIII.

Ex ara illa deſcendentem conſpicimus iuvenem, quem, quod ex iis quae dixi iam patet, eſſe puto *Oreſtem*. Dextra tenet adhuc gladium quo matrem iugulaverat, ſecundum illud Aeſchyli (*gg*).

. . . *veo-*

(ff) *Diod. Sic.* Tom. II. p. 101. 102. Ed. Weſſeling. Caetera dabit *Spanhem. ad Callim. hymn. in Del.* v. 90. p. 384.

(gg) *Eumenid.* v. 42. 43.

. . . . νεοσπαδὲς ξίφος
Εχοντα . . . .

recens ſtrictum enſem tenentem .

Siniſtra autem vaginam . Brachio , heroum more , chlamys iniecta eſt . In ara ramus conſpicitur , quem *Winkelmannus* quod ara Apollini ſacra erat , pro laurea habuit . Verum meliora docet *Aeſchylus* (*bb*) .

. . . . αἵματι
Στάζοντα χεῖρας καὶ νεοσπαδὲς ξίφος
Εχοντα , ΕΛΑΙΑΣ θ᾽ ὑψιγέννητον κλαδὸν
Λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον
Αργῆτι μαλλῷ .

Ex quo patet ramum illum non eſſe lauream , ſed oleam , quam ſupplices cum ad aram confugerent , ſolito more prae ſe ferre ſolebant . In eo tamen noſter a poetae deſcriptione diſceſſit , ut eam cum Oreſtes iam ſub Apollinis tutela ex ara deſcenderet , non in Oreſtis manu , ſed arae impoſitam effinxerit . In ipſo autem opere miremur ſculptoris artem , qua iuvenem , timido ac ſubmiſſo gradu digitis incedentem , oculiſque in Furiam ante aram proſtratam ac ſomno obrutam , quam ne expergefaceret timebat , defixis , ex cuſtodia elabentem , egregie repraeſentavit .

§. XIX.

Reſtant denique quatuor illae dormientes feminae, ex quibus una ante aram proſtrata iacet, reliquae tres in altera parte marmoris conſpiciuntur , quae , ſi quid video, nullae poſſunt eſſe aliae, quam *Furiae* , Oreſtem , in ara ſedentem , cuſtodientes , ab Apolline autem ut ille elabi poſſet, inſopitae .

(hh) *Eumenid.* v. 44 - 48.

Quod ad primam attinet, quae ante pedes Oreſtis proſtrata cernitur, cum omni Furiarum ornatu face ardente ac anguibus crinibus innexis inſtructa ſit, nullum de ea dubium eſſe poteſt. Ceteris tribus unum tantum anguem tribuit, in medio earum delabentem; neque tamen crinibus quoque earum ſerpentes innexos fuiſſe, qui, cum in ipſa acie marmoris eſſent exſculpti, temporis iniuria detriti ſunt, dubito. Quod autem Winkelmannus unam ex illis non feminam ſed virum eſſe putaverit, cum ita collocata ſit, ut neque facies neque pectora conſpiciantur, adeoque ſexus diſcerni nequeat, id quidem eodem iure ſibi ſumſit, quo nos eam feminam eſſe contendimus. Noſtrae tamen ſententiae haud parum inde roboris accedit, quod eodem prorſus veſtitu, quo caeterae Furiae induta cernitur.

In iis autem repraeſentandis ſculptor Aeſchyli quidem deſcriptionem ſecutus eſt, ſed ita ut ſuo quoque iudicio uteretur. Cum enim Aeſchylus eas thronis ſedentes fingeret (*ii*).

Πρόσθεν δὲ τ᾽ ἀνδρὸς τοῦδε θαύμαστος λόχος
Εὕδει γυναικῶν ἐν θρονοῖσιν ἥμενος.

Ante virum hunc autem mirabile dormit agmen mulierum in thronis reſidens,

noſter, de figurarum diſpoſitione ſollicitus, ita eas effinxit, ut unam tantum ſedi lapideae inſidentem, alteram ſtantem, dextraque ſedi innixam, tertiam denique in terra recumbentem, omnes tamen dormientes, exhiberet. In eo autem praeclare ab Aeſchylo diſceſſit, ut cum ille eas horrendas aſpectu deſcriberet (*kk*).

. . . ἄπτε-

(ii) *Eumenid.* v. 46. 47.

(kk) *Eumenid.* v. 48. 50.

. . . . , ἄπτεροί γε μὴν ἰδεῖν
Αὗται, μέλαιναι δ' ἐς τὸ πᾶν βδελύκτροποι,
Εκ δ' ὀμμάτων λείβουσι δυσφιλῆ βίαν.

Sine alis ſunt illae, nigrae, horrendae viſu, ex oculis autem ſtillant terrorem;

noſter eas iuvenili pulchraque facie effingeret. Id enim eo conſecutus eſt, ut cum eas alias non ſine horrore contemplari potuiſſemus, iam non crudeli & ſaevo, ſed ſevero tantum vultu, ornatuque adiecto, Furias eas eſſe admoniti, non ſine voluptate eas intueamur.

In earum autem ornatu nonnulla ſunt, quae inſolita, ac neſcio an prorſus nova eſſe videantur. Cernimus enim omnes eſſe ocreatas, unam vero ſecuri eſſe inſtructam, quod utrumque Amazonum eſſe ſolet. Quo ſi quis Furias eas eſſe non poſſe, contenderet, is velim cogitet, primo ceterum earum ornatum faces ac angues Furias eas eſse docere; porro omnem hunc ornatum non ita a Furiarum natura abhorrere ut iis tribui non poſſet; denique in Furiis deſcribendis poetas non ita ſibi conſtare, ut nihil artificis arbitrio relictum eſſet. Quod enim primo ad ocreas attinet, cum celeri ac indefeſſo pede, venatorum inſtar, reos perſequi dicantur, optimo ſane iure iis tribuuntur. Sic enim loquentes eas inducit *Aeſchylus* (ll):

. . . . Εγὼ δὲ
Μέτειμι τόνδε φῶτα ὡς κυνηγέτις.

Ego vero venatoris inſtar virum hunc perſequor.

Ab

(ll) *Eumenid.* v. 231.

Ab *Euripide* autem Δρομάδες vocantur (*mm*). Ac neſcio an ſplendida illa *Aeſchyli* imago, cum eas deſuper in reos inſilientes depingit, occaſionem iis dederit (*nn*):

Μάλα γὰρ οὖν ἁλλομένα
Ἄγκαθεν βαρυπεσῆ
Καταφέρω ποδὸς ἀκμὰν,
Σφαλερὰ τανυδρόμοις
Κῶλα δύσφορον ἄταν

Summa vi deſuper inſiliens, gravi in eos irruo pede, triſtem ferens perniciem trepido curſu fugientibus.

Furias denique ut vocant Etruſcas ocreatas repraeſentari ſolere, ut alia monumenta taceam, docet opus caelatum quo Echetli fabulam repraeſentari volunt (*oo*), quod in muſeo Collegii Romani ex argilla fictum, in villa Albani autem marmori inſculptum cernitur.

Eodem autem iure quo ocreae, cum & carnium lacerationes & caedes ipſis ab Aeſchylo tribuantur, ſecuris quoque alteri ex iis data eſt. Sic enim Oreſtem alloquuntur (*pp*).

Καὶ ζῶντα σ' ἰσχνάνασ' ἀπάξομαι κάτω.
Vivum te emacians ad inferos deducam.
atque ibi ſe verſari dicunt ubi (*qq*):

... Κα-

(mm) *Eurip. Oreſt.* v. 318.
Δρομάδες ὦ πτερόφοροι
Ποτνιάδες θεαί.
Celeres, alatae, venerandae Deae.

(nn) *Aeſch. Eumen.* v. 374 - 378.

(oo) *Winkelm. Mon. ined.* P. I. p. 105.

(pp) *Eumenid.* v. 267.

(qq) *Eumenid.* v, 186. 187.

. . . . . Καρανιστῆρες ὀφθαλμώρυχαι
Δίκαι, σφαγαί τε.

. . . . . *perniciosſae oculorum effoſſiones, lites & caedes.*

Nec denique, quod modo iam monui aliquid eſt in quo poetae ſibi minus conſtent, quam in Furiarum deſcriptione. Sunt enim qui eas dira ac horrenda facie depingunt ut Aeſchylus (*rr*), ſunt qui eas virgines dicunt ut Sophocles (*ss*). Sunt qui eas alatas fingunt, ut Euripides (*tt*), ſunt qui eas ſine alis eſſe dicunt, ut Aeſchylus (*uu*); ſunt denique qui eas vel ſeminudas, vel nudatis ſaltem brachiis, ſunt qui eas nigra veſte indutas depingunt (*vv*).

§. XX.

Vero enim vero, quamvis omnes figurae operis noſtri ita ex Aeſchylo explicari poſſint, ut artificem & fabulam ab ipſo tractatam repraeſentare, & deſcriptiones eius imitari voluiſſe dubium prorſus eſſe nequeat, facile tamen video fore, qui eo offendantur, quod auctor operis noſtri ſcenam hanc ita diviſerit, ut figuras ad eam pertinentes in utraque marmoris parte effingeret. Qui tamen cogitent, ſcenam hanc non eſſe principem, ſed ad locum tan-

(rr) *Eumenid.* v. 51.

(ss) *Sophocl. Electr.* v. 354.

(tt) *Eurip. Oreſt.* v. 318. πτεροφόροι ποτνιάδες θεαὶ
Alatae reverendae Deae. Signum aeneum alatum Furiae Etruſcae (quae tamen, quod ſcio, ſemper alis ſunt inſtructae) cernitur in ampliſſima ſigillorum antiquorum collectione, quae *Muſeum Borgianum* Velitris exornat.

(uu) *Aeſch. Eumen.* v. 51.

(vv) *Aeſch.* l.c.

tantum explendum ab auctore eſſe additam; adeoque illum commune illud artificum exemplum ſecutum eſſe, qui in effingendis iis quae non ad rem ipſam pertinent, multa ſibi dare ſolent, quae in ſcena principe locum habere non poſſent. Quod ſi datum eſt artificibus, quare non illud concedamus noſtro, ut ſcenam principem, in medio marmore iam praeclare caelatam, ab utraque parte alia ſcena cingeret? Sed quid multa? cum in alio eiuſdem muſei marmore, quod eodem loco, quo Muſarum ſtatuae repoſitae ſunt, muro affixum eſt, eadem figurarum diſpoſitio obſervatur? Repraeſentatur eo *ſaltatio pyrrhica*, ſex autem figurae quas exhibet, ita diſpoſitae ſunt, ut non ſecunda ſolum cum tertia, ac quarta cum quinta, ſed prima quoque cum ultima ſaltando pugnare videantur. Denique autem dicendum eſt, noſtrum rem ita animo concepiſſe, ut tres illae Furiae poſt aram decumberent, adeoque cum in ipſo lapide poſt aram non amplius locus eſset relictus, in altera lapidis parte collocandas eas fuiſſe.

§. XXI.

Expoſitis iam omnibus quae ad ſingulas figuras pertinent, iam ad altiora progrediendum, conſiliumque ac idea totius operis, qualem illam artifex mente conceptam habebat, exponenda eſt, quo facto de omni opere certum iudicium ferri poterit. Primo itaque omnium, cum ſculptoribus non idem datum ſit, quod poetis, ut hiſtoriam continuam nobis ante oculos ſiſtanr, ſed ex omni hiſtoria unum tantum temporis momentum ſpectatorum oculis ſubiiciant; de eo inſtituenda eſt diſputatio, quod ſibi temporis momentum ex Oreſtis hiſtoria auctor operis noſtri repraeſentandum ſumſerit?

Erunt

Erunt forſan, qui, cum Oreſtem gladio ſtricto ac averſo vultu expreſſum conſpiciunt, in opinionem incident (quod & mihi primum accidit) effingere voluiſſe artificem ipſam Clytaemneſtrae caedem, ac rem ita animo concepiſſe, ut Oreſtes, cum matris, pectora manuſque ſupplices obtendentis, adſpectum ferre non poſſet, averſis oculis eam iugulaverit. Quod quamvis ſummo artifice non eſſet indignum, atque verbis illis Oreſtis apud Aeſchylum, Pyladem reſpicientis ac quaerentis (*xx*).

Πυλάδη τί δράσω, μητέρ᾽ αἰδέσθω κτανεῖν;

„ *Pylades quid faciam; vereor occidere matrem!* „ praeſidium ipſi parari poſſit, eſſe tamen nullo modo poteſt. Videmus enim Clytaemneſtram iam mortuam humi proſtratam, videmus peplum illud iam expanſum, videmus denique Furias irruentes, quod utrumque caede iam peracta factum eſt. Matre enim iugulata Oreſtes, quod ſupra ex Aeſchylo probavimus, peplum, quo illa olim marito inſidias ſtruxerat, ſpectatoribus, ex quibus apud noſtrum ſola Geliſſa expreſſa eſt, expanſum, una cum caeſorum corporibus oſtendit; ſubito autem cum in hoc ipſo eſſet occupatus, a Furiis correptus eſt. Cum itaque Furias iam in eum irruentes in opere noſtro cernimus, patet, hoc ipſum temporis momentum, quo diro earum adſpectu inopinato oculis obiecto, choro apud Aeſchylum haec verba acclamat (*yy*).

Δμῳαὶ γυναῖκες αἵδε Γοργόνων δίκην
Φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι
Πυκνοῖς δράκουσιν, οὐκ ἔτ᾽ ἂν μείναιμ᾽ ἐγώ.

Ser-

(xx) *Choëph.* v. 989.
(yy) *Choëph.* v. 1048.

Servae ! illae Gorgonum inſtar nigris veſtibus ſunt indutae & denſis anguibus armatae, non amplius manebo !

ſculptorem ſibi exprimendum ſumſiſſe, in quo, ſi quid video, tanto ſane iudicio verſatus eſt, ut melius eligere omnino non potuiſſet.

Primo enim hoc eo conſecutus eſt, ut quamvis dirum ac crudele facinus oculis ſubiiceret, illud tamen iam ita mitigaverit, ut ſpectatoribus non horrorem incuteret, ſed eos potius ad miſericordiam flecteret. Quodſi enim matrem, ſupplices manus obtendentem, quodſi filium eam ad ſupplicium rapientem, immotoque animo iugulantem, effinxiſſet, quis tantum facinus cum voluptate intueri potuiſſet? Atqui cum matrem iam mortuam humi proſtratam, cum filium caede peracta ſubito facinoris conſcientia territum Furiiſque correptum cernimus, quis non tanto adſpectu oculis ſubiecto ad commiſerationem movetur? Quod quo ſtudio in omni hoc opere ſectatus ſit ſummus artifex, ac contra, ut horrorem incuteret animis, caverit, velim intelligant omnes. Eo enim conſilio Oreſtem, Furiarum impetu perterritum quidem, non tamen horrentem, eo conſilio matris occiſae vultum compoſitum, ac dormienti potius quam mortuae ſimilem, corpus vero integrum non laceratum, eo denique conſilio Furias non dira ſaevaque, ſed iuvenili ac ſevera tantum facie expreſſit. Quidquid autem horroris in omni opere eſſet, illud ſummo iudicio in Aegiſthum tranſtulit, quem ſupinum a ſolio deiectum, ac terra proſtratum cernimus. Atqui quis non gaudet, cum foedum timidumque adulterum meritas ſcelerum poenas tuliſſe videt?

In

In omni porro Oreſtis hiſtoria nullum erat temporis momentum, quo & tantas & tam varias figuras oculis ſubiicere potuiſſet. Quodſi enim caedem ipſam expreſſiſſet, neque Furiis neque Geliſſae locus fuiſſet; ſolo autem comitum numero, nullo charactere diſtinctorum, ſcenam ornare, ieiunum videtur. Atqui in noſtro opere, (loquor autem de ſcena tantum principe) octo figuras cernimus, quarum nulla, fide hiſtoriae ſervata, abeſſe poterat. Neque vero figurarum ſolum copia, ſed varietate quoque ſpectatorum oculos delectare potuit, cum ex omnibus quae cernuntur, ſi Furias exceperis, ne duae quidem ſint, quae non charactere plane ſint diverſo.

Denique cum hoc temporis momentum exprimendum ſibi ſumeret, id quoque eo conſecutus eſt, ut tantam Oreſtis hiſtoriae partem oculis ſubiecerit, quantam nullo alio modo exprimere potuiſſet. Quamquam enim unitatem, ut vocant, actionis, religioſe obſervaverit, iis tamen quae in ſcena cernimus, cum & peplum illud expanſum, & nutrix Geliſſa, & caeſorum corpora conſpiciuntur, ea quae antea geſta erant, facile divinamur.

§. XXII.

Quod denique ad figurarum diſpoſitionem attinet, eam ita ab artifice inſtitutam eſse cernimus, ut rei ipſius ratio poſtulabat, id eſt, ut melior eſſe non poſſit. Primas enim, principeſque figuras, Clytaemneſtram & Oreſtem, medio loco poſitas cernimus, quibus qui ſecundum locum occupare debebant, Aegiſthus & Pylades, a dextra ſunt. Pyladi enim aptiorem locum tribui non potuiſse, quam ut, cum caedis eſset ſocius, Aegiſtho caeſo adſta-

adſtaret, facile vident omnes. Nutrix vero Geliſsa & ſervus Oreſtis ab utraque parte agmen quaſi claudunt. Furias, cum ſubito & inopinato irruerent, ſummo iudicio in poſteriori ſcenae parte, ac peplo expanſo maxima ex parte obtectas, caelavit. Si vero ſint, qui Electram in opere noſtro deſiderent, meminerint, ſecutum in hoc eſse artificem & Aeſchyli & aliorum poetarum auctoritatem, qui omnes in eo conſentiunt (zz), Electram caedi non adfuiſse, ſed aedium cuſtodiam ipſi fuiſse demandatam.

(zz) *Aeſch. Choëph.* v. 577. *Eurip. Oreſt.* v. 1218. *Soph. Electr.* v. 1402.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reviño Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Franciſcus Xaverius Paſſeri Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Mamachi Ord. Prædicatorum, Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google



..g. 9 Alt 2 ½ palm.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE

Digitized by Google